

*Lausannen. Geneven. et Friburgen.
Piae Unionis
(Exc.mus Lefebvre, recurrens)*

DECRETUM

Cum, per scriptum diei 21 maii 1975, apud Cancellariam Huius Supremi Tribunalis depositum die 5 iunii 1975, Exc.mus D.nus Marcellus Lefebvre, Superior Instituti cui nomen «Fraternité Sacerdotale Saint Pie X», recursum interposuerit contra actum Exc.mi Episcopi Lausannen., Geneven. et Friburgen. diei 6 maii 1975, quo revocatur decretum erectionis eiusdem Fraternitatis;

Attento quod, ex documentis recursui adnexis, apparet actum impugnatum non esse nisi executionem decisionum latarum a Speciali Commissione trium Patrum Cardinalium, et a Summo Pontifice in forma specifica adprobatarum;

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

iuxta can. 1556 C.J.C., declarat

recursum propositum recipi non posse ob incompetentiam absolutam eiusdem Supremi Tribunalis.

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae,
die 10 iunii 1975.

DINUS CARD. STAFFA, Praefectus.
✠ AURELIUS SABATTANI, Secr.